



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesu Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitutum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Congregatio Cassinensis n. 9

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

*Septempli-  
ci literarū  
cypeo ob  
armata.*

*Virtutum  
bombaris  
vitorum  
aream  
arietat.*

*Societate  
veluti dia-  
demate Be-  
nedictina  
familia il-  
lustratur.*

*Defensa  
contra Con-  
stantinum.*

*Filiorum  
egregia  
virtus, &  
doctrina.*

vitæ spiritualis initia, & velut Societatis fundamenta iecit. Ibi militem exuit, vt cælestis militiae ducem indueret: ibi arma emeritæ militiae symbola depositi, & ante Virginis aram suspendit, dicauitque, vt quondam Dædalus alas iam liber periculis. In veteri illius celeberrimi Cænobij nostri Templo hæc marmori inscripta legitur epigraphe. Beatus Ignatius à Loyola hîc multa prece, fletuque Deo se Virginique deuotus. Hic tanquam armis spiritualibus Sacco se muniens pernoctauit. Hinc ad Societatem IESV fundandam prodiit ann.

1522. Fr. Laurentius Nieto Abbas, dedicauit ann. 1630. Denique ex augustissimo illo sanctissimæ Deiparæ sanctuario, veluti ex Oriente nostri Ordinis exortus est matutinus iste lucifer, cuius splendoribus etiam remotissimæ Orbis Provinciæ illuminantur. Quamuis autem ceteris Ordinibus Sacris tanquam pyropis Benedictina corona decoretur, Societate tamen IESV tanquam Diademate illustratur. *Hæc ille in sole suo Occidentis Prælud. 1. cap. 19. fol. 156.*

9. A CONGREGATIONE CASSINENSI in Decreto contra Constantinum Caietanum: Cum nobis (*inquit*) relatum fuerit libellum quendam sub nomine D. Constantini Caietani monachi Cassinensis, & Abbatis, fuisse impresum Societatis IESV existimationi insigniter præjudiciale, dolimus sane prout par erat vehementer hominis leuitatem, & audaciam (*si quidem talis scriptionis est auctor, quod difficillime nobis persuaderi potest*) summopere admirati: ac vt religiosissimis Patribus, qui tanti à nobis fiunt, quanti ipsorum egregiam virtutem, ac doctrinam fieri æquum est, per nos ipsos satisfiat, vt ceteris omnibus constet, inconsultis nobis, & prorsus inscijs, eiusmodi librum in lucem produisse, per occasionem nostrorum Comitiorum in vnum Congregati isthuc ipsum publico Edicto euulgare, ac constare statuimus. Addentes insuper prædictum P. D. Constantinum (quod extra Congregationem nostram multis ab hinc annis Pontificia auctoritate degat) potestati nostræ non magis quam alium quemlibet alterius

alterius instituti professorem, subditum esse: quare si quid ab ipso in hoc genete hucusque peccatum est, vel peccati in posterum (quod Deus auertat) contigerit: tum ipsos Societatis alumnos, tum alios quoscumque omnes enixe rogatos volumus, ut certo sibi persuadeant id communi totius Congregat. Cassinensis sensui, & in Societatem IESV peculiari obseruantia omnino aduersari, & repugnare. Dat. Rauenn. in nostris Gener. Comitijs die 23. April. 1644. Ita apud P. Tellez 1.

*Par.Hist.Soc.Lusit.in Prologo.*

10. A CONGREGAT. LUSITANA in Decreto contra eundem Constantinum, & Ioannem à Sancto Thoma eius in scripto affeclam, quod sic se habet. Cum nostra Benedictina Congregatio Lusitana, summo semper, ut par est studio, ac reuerentia doctissimam, ac religiosissimam Patrum Societatis IESV familiam prosecuta sit, idque omnes Christianæ disciplinæ, nec non arctioris Instituti sectatores deceat, ut charitate simul ambulantes, honore se inuicem præueniant, testamur nos infrascripti prædictæ Congregationis Abbas, Generalis, & Definitores adhoc specialiter congregati, in libro scripto Historia Benedictina vernaculo idiomate Lusitano, nuper edito à Nostro Reuerendo admodum Patre Magistro Ioanne à Sancto Thoma Congregationis nostræ Lusitanæ Monacho, & in Conimbricensi Academia primario Theologiae Professore, nonnulla referri ex Constantino Caietano nostræ item Congregationis Casinensis Monacho, quæ ut prædictæ religiosissimæ Societatis existimationi aduersantia, sic minus probabilia, quam fides Historiæ postulat, ab ipsa Congregatione nostra Casinensi (quam ut parentem libenter veneramur) Decreto publico indicata iam sunt: quo circa ea sine fundamento à primo Auctore vulgata aut excogitata, & minus consideratè à secundo relata, certe à communi Congregationis nostræ sensu aliena declaramus: in quorum fidem testimonium hoc scribi iussimus, & nomina nostra subscripsumus: Religiosos Sacrae Societatis enixe rogantes, ut de anti-

Societatis  
iterum con-  
tra Con-  
stantinum,  
& affec-  
tus defensas.